



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti**

**Hartmann, Christoph**

**Friburgi Brisgouiae, 1612**

Marquardvs I. Ex Baronibvs A Grveninberg Abbas Heremitarvm XXVI.  
Princeps Imperii Nonvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38545**



MARQVARDVS I. EX  
BARONIBVS A GRVEN.

INBERG ABBAS HEREMI-  
TARVM XXVI. PRINCEPS  
IMPERII NONVS.

**E**ODEM tempore, Carolus Imperator venit Bafileam, & per Heluetiam, Solodorum, Bernam, Sabaudiamque & Delphinatum, Auenionem ad Vrbanum pontificem tetendit, vti ab ipso petierat. Paucisque istis diebus transactis eadem via Argentinam, & Saletionem redijt, exeunte Majo. Istic aliquamdiu substitit. Initio Iulij, cum adhuc Saletione agitaret Imperator, ex Lotharingia in Elsatiam perruperunt Anglorum equitum peditumque circiter quadraginta millia. Peragrata,

vastataque

vastataque vtraq; Elfatia, pluribus vicis incensis, cum magnum exercitum contra eos Carolus comparasset in Burgundiam per montem Bellicardi, nulla alia re gesta, diffluerunt, eodem mense. Secuta tamen ex eorum vastatione maxima frumenti inopia, quæ multo magis subcreuit, postea quæ etiam sequentibus annis, segetes, messesq; non responderunt. Vnde per famem, & egentiam integri prope sexenij infiniti, tota Germania superiore, ad mortem miserrimis modis adaecti. Septimo Kal. Augusti exstinctus dux Austriae Rudolfus ætatis an. *x x v i i*. princeps pulchritudine, pietate, pacis, & Reipubl. amore nulli secundus. Nullos reliquit liberos. Hæreditatem adierunt, Albertus & Leopoldus, mortuo jam antea Friderico, diuisisque inter se prouincijs Alberto Austria, & vicinæ prouinciæ; Leopoldo superiora Germaniæ obuenerunt. Anno sexagesimo sexto Carolus Imp. Norimbergæ Comitibus ingenti principum & omnium ordinum frequentia celebravit, in ijsq; Bullam quæ auream vocat promulgauit. Marquardus abbas prædium Bleuconis ad Silam anam suum commisit Heinrico Verio, aliasque ab eo possessiones recepit, postridie D. Nicolai hoc anno. Faræ præpositum constituit Rudolfum à Ponte. Anno sexagesimo septimo constituit Leopoldus dux superiori in Germania præfectum Petrum baronem à Thorberg equestris ordinis, mense octobri. Is, anno sequenti, mense Martio, inducias cum Confederatis Heluetijs fecit in menses sequentes sedecim: multis conditionibus. Autumno proximo, Carolus Imp. cum multis principibus in Italiam rogatu pontificis Urbani per Athesinos cum iustis copijs tetedit Barnabæ Vicecomiti Ecclesiæ rebelli, rogatu pontificis, bellum intulit, mox in gratiam, cum pares ad eum subigendû copiarum non essent, accepit. Romam circiter Idus Octob. peruenit, nullaq; magna re gesta, aut gloria, in Germaniam redijt. Anno nono, & sexagesimo mense octobri, vendidit Ioânes baro à Tenge abbati Marquardo decumas Volruuiæ, & quidquid iuris & Dominij habuit in illû vicum, & eius incolas, quæ omnia ad ipsum hæreditario ab Erchingenis, prouenerant, qui antiquitus ab

*A. D. N.**CLV. CCC.*  
*LXVI.**A. D. N.**CLV. CCC.*  
*LXVII.**A. D. N.**CLV. CCC.*  
*LXVIII.*

A. D. N.  
CII. CCC  
LXX.

Heremitis beneficio acceperant. Testatus est baro summam se venditionis accepisse (ea centum triginta libras Denarij Tigurini conficiebat) proindeque cedere se ea omnia Marquardo pridie S. Galli. Sub finem eiusdem anni venit dux Leopoldus Tigurum, induciasq; Thorbergensis in sequentē annum produxit. Tiguro Aquas concessit, ibique festum D. Thomæ Apostoli, mox natalitios dies celebravit. Argouia, & Turgouia militiæ præfectum Rudolpum Comitem Nidouiu eius stirpis extremum præfecit, cetera jurisdictioni Thorbergensi relicta. Anno septuagesimo, cum durante inter Auftriacos, & Confederatos pace, & sua continentia, industriaque, res Monasterij florere inciperent, eas nouis possessionibus, & redditibus augere, & cōfirmare Marquardus decreuit. Ea de caussa quia jam circum circa prædia multa possidebat, aut sui Monasterij beneficio tenebant alij, arcem, & vicum, Dominiumq; vniuersum Richenburgi ab Rudolfo Tumptero, cognomēto Keller, ciue Rapersvillano coemit florenis aureis ponderis Florentini mille ducētis. Arx ea & Dominium in Marchiæ capite est paullo infra Glaronēsem regionem. Heremitarum ab initio feudum fuerat, coluerantque nobiles à Richenburgo inde nominati. Ab illis ad nobiles Asperi montis Rhætos peruenerat. Vlricus senior ab Asperomonte, & filius eius Vlricus junior Tumptero ante biennium vendiderant, argenti libris octingentis Tigurini denarij, Tumpterui porrò Marquardo precio, & anno memorato. Etis quidē venditionis instrumentum, quo se summam condictam accepisse, & id Dominium Marquardo, & eius successoribus in perpetuū tradere, & cōsignare cum omni iure, & jurisdictione profitebatur, fecit, sigilloq; suo, & suis precibus Ioannis à Vilberg muniuit, feria quinta proxima ante D. Michaëlis, hoc anno. Ita Richenburgum ad Heremitas peruenit, qui ab eo tempore per officialem regunt. Eodem tempore, constituit Leopoldus generalē Superioris Germaniæ præfectum Ioannem episcopum Brixensem, addito consiliario Rudolfo Comite Nidouienfi: Illi de principis voluntate inducias cum Confederatis, quia festo D. Martini exierant, in

triennium

triennium renouarunt. Anno exeunte, festo die D. Thomæ obijt pontifex Vrbanus v. Electus Februario sequenti Auenione Gregorius xi. præfedit annos vii. menses iiii. dies xxvii. Eodem anno ineunte, venit religionis causâ ad Heremum Gottfridus Comes Habsburgiensis, Lauffenbergæ Dominus, qui per cõtrouersiam cum quibusdam Vraniensibus Scheitleris cognominatis, merces eorum nonnullas inuaserat, diripueratque. Id ubi ad eos perlatum, facta continuò apud Suitenses iuuenum manu, ad Heremum aduolarunt, Comitemque ignarum, & incautum interceperunt, Vraniamque porrò, aut Suitiam captiuum abduxissent, nisi magnis promissis Marquardus intercessisset, qui Comitem non solum in custodia, donec eorum præsentis satisfecerit, tantis per habiturum in se recepit, sed etiam vt ne ab ipso, aut fratre eius Rudolfo eam ob captiuitatem detrimentum aliquod patiantur curaturum, pacem, & amicitiam inter partes conciliaturum. Redditus abbatis precibus & promissis Gottfridus, & in Monasterio per plures dies detentus. Postremo Rudolfus Scheitleris satisfecit, scriptoque se eorum fore, quantum eam captiuitatem pertinet amicum pollicitus, fratrem è monasterio exemit, feria iiii. proxima post Purificationem. Anno septuagesimo secundo, terræ motus in Heluetia Kalendis Iunij metu superiorum mortales ingenti trepidatione adfecit. Non minus perturbauit, incertitudine portenti, insolitus circum amplexus solem circulus in quo cruces erant duæ sanguineæ. Anno septuagesimo tertio, cum induciæ triennales ad diem D. Martini finissent, in alterum triennium præfecti Austriaci, & Confederati iurauerunt. Sequenti anno præfecit Leopoldus Argouiæ, Turgouiæ, Elfatæ Rudolfum Comitem Habsburgi, Lauffenbergæ Dominum. Annus continuis imbris infestus & exitiosus, flumina pleraque alueos, & ripas supergressa, quidquid fere obuiam fuit abripere, nonnullos etiam vicos pene integros, frequentia in Campis armenta & pecora, non absque mortalium magna strage & nece, præcipuè mense Nouembri. Sed hinc quoque omnium rerum inopia resuscitata.

A. D. N.

CIX.  
CCC.  
LXXI.

A. D. N.

CIX.  
CCC.  
LXXII.

A. D. N.

CIX. CCC.  
LXXIII.

A. D. N.

CIX. CCC.  
LXXIV.

A. D. X.  
CIC. CCC.  
LXXV.

Anni quinti, & septuagesimi initia haut fermè meliora, aut melioris ominis fuere. Exeunte enim Ianuario terra rursus valide concussa est, hiaruntque pluribus locis in maximas speluncas montes, situm etiam rupes locis nonnullis mutauere. Quæ ut in præsentia ingentem trepidationem omnibus generarunt: ita calamitatum, quæ breui in has regiones migrarunt, haut dubia indicia extiterunt. Mense enim Septembri huius eiusdem anni, Enguerrans, Enguerrante Coussij Comite, & Galliæ Thalassiarcha, Catharinaque Aufriaca Leopoldi senioris filia genitus, maternam hæreditatem, ut vulgò ferebatur, repetiturus, maximis peditum, equitumque copijs, quas, quia maiori ex parte rex Angliæ suppeditarat, vulgò omnes Anglos vocabant, primo in Elsatiam descendit, Ea vastata, in Argouiam, quam maximè sibi vindicabat, quasi matri doti traditam, penetrauit, & quidquid ab Lindemago & Vettingensi monasterio, Bernam, & Arbergam vsque protenditur, equis, virisque impleuit, totum eum tractum vtraque Arulæ ripa diripuit, & incendit. Meliora, ante eorum aduentum, pleraque in loca tutiora, Ducis Leopoldi iussu, transportata erant, multi quoque vici cremati, ut inopia exercitus hostilis vires dissolueret, & infringeret. Igitur, uti ratus Dux erat, subito magna omnium rerum penuria Anglos inuasit. Accessit mense Decembri ingens frigoris intemperies. Multæ interea & frequentes congressiones factæ, sæpius victi & cæsi hostes maximè Buttisholtzij, Frauuenbrunnæ, Arbergæ, alibi. His, & alijs necessitatibus compulsus Coussius, anno sequenti ingrediente, in Alsatiam redijt, vbi cum aliquandiu hæsisset, nec quidquam præterea suppeteret, pacem ab Leopoldo petijt, & obtinuit, & pro dote materna Nidouia Comitatum, quem paullo antè Dux emerat. Erat Carolus Imper. senecto corpore, & morbis infesto. Itaque siue extrema sibi imminere sentiret, aut ingenti Bohemiæ ante omnia regna extollendæ desiderio, postremo cæco in Venceslaum filium amore, quæ scilicet inuilem, ventrique, & scædæ libidini maximè deditum ignorare non poterat, nihil non commouit ut successu-

A. D. X.  
CIC. CCC.  
LXXVI.

forem ha-

forem habere posset, perduxitque, ingenti largitione, Electores plerisque, ut spem præberent, qua accepta, ubi hiems defauit, & veris temperies obtinuit, Francofurtum cum eodem Venceslao, & maximo comitatu tetendit, utque Cæsarem filium deligerent electores muneribus perucit, pridie Idus Iunij. Inde Aquisgranum perductum coronandum curauit, XIII. Kalend. Augusti. Denique cum promissa præstare non posset, Imperij opida, vectigalia, portoria pignori Electoribus tradidit, præcipue Rhenana. Ex quo secuta magna Romani Imperij declinatio, & labes. Eodem tempore Gregorius pontifex crebris literis Diuæ Catharinæ Senensis, & Baldi jurisconsulti auctoritate adductus, sedem Apostolicam tandem Romam, Auenione relicta, transportauit, cum tota pene Italia defecisset. Dedicatio Ecclesiæ Vfnauigiæ celebrabatur hac tempestate proxima dominica post festum adsumtionis DEIPARÆ Matris, tenebanturque pœna excommunicationis Vicarij vtriusque Ecclesiæ Frienbachi, & Humbrechticonis, quia Vfnauigiensis alumnae erant, (filias vocant) cum suis subiectis ad eam dedicationem conuenire. Qua in re cum sæpius venti, aërisque intemperies lacum interturbarent, periculumque nauigare eodem tempore volentibus sæpius haut leue incideret, iidem vicarij, & eorum vicorum incolæ ab Marquardo magnis precibus obtinuerunt, ut eius dedicationis sollennitatem in diem festum Apostolorum Petri & Pauli Vfnauigiæ patronorum, licentia, & permissu Heinrici episcopi Constantiensis transportaret. Annuit Episcopus hoc anno, datis in eam licentiam literis. Quæ ratione Indulgentiæ, quæ Vfnauigiæ magnæ ab prima eius consecratione collatæ, & concessæ, deinceps duplicatæ sunt, vtriusque festi nomine patronorum, & ipsius dedicationis. Anno septuagesimo septimo, dux Leopoldus, constitutis post Anglorum recessum superioris Germaniæ rebus, & foedere cum Heluetijs Confederatis in annos duodecim proximè sequentes facta, cum jam in Austriam abiturum pararet, & Schafhusiæ esset, ut aliquod abbati, monasterioque Heremitarum de se solatium, & boni, pijque ani-

A. D. M.

CIC.

CCC.

LXXVII.

mi testimonium relinqueret, ipsum abbatem, & Monasterium in suam singularem gratiam, & protectionem suscepit, ad omnes suos praefectos, officiales, subditos literas edidit, quibus suam mentem illis aperuit, & non modo ipsos eidem abbati, Monasterio, eius subditis, & possessionibus, & mancipijs injurias, aut vim quamcumque facere prohibuit, sed neque alios ut faciant pati serio, & acri mandato praecipit, feria v. ante Dominicam palmarum Schaffhausiae. Sequenti eiusdem anni auctumno jam adulto xv. Kalend. Nouembris vitam postremo exiit, & dignitate abbas Marquardus. Erat Berchtoldi baronis & equitis à Grueninberg filius. Fratrem habebat Valterum, & sororem Margaritam quae eodem tempore Sanctionensi Monasterio magna cum laude praesidebat. Sita arx Grueninberga in praefectura Aarauensi nunc ditionis Bernensis. Eam ipsi quarto post hunc anno, bello quod Kiburgi Comitibus Burgdorffii Dominis, & eorum clientibus, & coniunctis intulerunt, incendere, destruxeruntque. Fuit verò magna Grueninbergensium baronum potentia. Nam & Barones à Langenstein, qui Monasterium sancti Urbani condidere, haereditarunt, advocati que eius deinceps Monasterij, & Benefactores fuerunt, & multa alia dominia in se transfulerunt. Postremus etiam nisi fallor, Gulielmus, Dominum se Rhinfeldae scripsit quod id opidum ab Friderico seniore duce Austriae pignori accepisset, vir militaris & expertae virtutis, cuius multa sequenti bello Tigurino fortia facta. Post obitum Marquardi lectus abbas Petrus ex baronibus à Vuolhaufe, ultimus suae, si rectè memini, in Heluetia stirpis, tum sancti Geroldi praepositus.

PETRVS